

40

D. F. G.

SPECIMEN ACADEMICUM,

IGNEM
MAGNALIUM
DIVINORUM
PRÆCONEM
EXHIBENS,

CUJUS

PARTEM PRIOREM,

Suffragante Ampliss. Facult. Philos. Auraica,

PRÆSIDE,

D_{N.} PETRO KALM,

Oeconom. PROFESS. Reg. & Ord. Acad. Reg. Stockh.

Societatisque Litt. Ups. MEMBRO,

Nec non

Acad. Aboëns. h. t. Rectore MAGNIFICO,

Publicæ censuræ modeſte submittit

GABRIEL WELONIUS,

SATACUNDENSIS.

In Audit. Majori, die XX. Novembr. MDCCLVI.

H. A. M. C.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.

Finland. JACOB MERCKELL,

VIRO

Amplissimo atque longe Celeberrimo,

D_{N.} M_{AG.} HENRICO
HASSEL,

Eloquentiæ in Regia ad Auram Academia PRO-
FESSORI Regio & Ordinario,

MAGISTER H.

VI-

Amplissimo at-
D_{N.} M_{AG.} JOHAN-
PROFESSORI Mathematum ad Academi-
MÆCENATIBUS

NE miremini, VIRI Celeberrimi, quod maxima sit multitu-
dignitate, quae nulla est, innixi, sed invitati alii a fa-
neciosis maximis, quae venerabundo pioque agnoscenda sunt ani-
tantique litterarum Heroibus dignissima; Alii denique allestantur
praesertim quum sciant, magnis Vestrīs animis eam esse indo-
ne, delebentur. Sed haec omnia fuerunt caussæ, quae mihi copi-
neror adumbratas, amplissimis Vestrīs nominibus, quae, solle in-
suffinerem animo. Ne itaque succēseatis, VIRI Celeberrimi hu-
rīum, Vestigia aeterni Numinis in ignis na'ura delitescentia evol-
tionis. Quod fretus favore Vestro summo certo certius evenire con-
mīnum Moderatorē omniaque felicitatis Statorem sapientissimum,
litterariorū & familiarum Vestrarum nobilissimarum emolumētum,
na felicitate cumulatos, ad ultimos usque mortalia

Celeberrimorum NO-
cutor de-
GABRIEL

VIRO
Summe Reverendo atque Amplissimo,
**D^{N.} SAMUEL I
PRYSS,**

S. S. Theol. DOCTORI & PROFESSORI Primario
longe Celeberrimo, Dicēseos Aboënsis Archi-Præ-
posito Adcuratissimo, utriusque Consistorii Asses-
sori Gravissimo, Ecclesiarumque, Cathedralis Svecanæ
Aboënsis, & Numensis, Antisti longe meritissimo,
RO

que Celeberrimo,

NI KRAFTMAN,
am Auraicam Extraordinario,
MAXIMIS.

do clientum, qui Vestrā adeunt atria; adeunt enim, non sua
zore Vestro summo, qui nemini aditum p̄aecludit; alii a be-
mo; Atii a facilitate Vestra immortatibus celebranda laudibus,
et plendorem opellis suis omni ornato destitutis conciliandum,
tem, ut leviōribus quandoque, dum pia mentis offerantur devotio-
am fecerunt tantae audacie, ut pagellas bas incompta plane Mi-
star, orbem nostrum litterarum, collusfranci, devotissimo consecrare
millimus obtestor oroque; sed aaspiciatis has, quae, pro modulo vi-
vere conantur, lineolas, ceu tesseram profundae erga Vos venera-
fido. De cetero nunquam destitutus sum DEUM ter O. M. rerum o-
ardentissimis desatigare suspiriis, ut in ecclesiae, reipublicae nostrae
futrum & patrocinium longe maximum, Vos salvos & omnige-
nis terminos, conservare velit. Permanebo quondam vixero
MINUM VESTRORUM
votissimus,
WELONIUS.

Handelsmannen i Skapelstaden Åbo /
Åreborne och Högwälaktade Herren,


Herr H A N S I M B E R G.

Min Gunstige Ghunnare.

Hen gunst och the många wälgerningar mig tid efter
mannen af Herr Handelsmannen wedersarits, åro frörre,
än at mit omogna och matta tankesätt them förmår uttrycka
ka och afbilda, än mindre min wacklende pensel med sina dunkla
färger them, som sig bör, at afbildra. Det mig i theu namn
oförmöggenhet fägnar, är, at jag wet, Herr Handelsmannens
gunst vara så stor, at then ock en wördnadsfull årkåndsanthet,
för en fullkomlig wedergåning upptager. Jag gjorde altså intet en-
ligit min skyldighet, om jag ej upoffrade Herr Handelsmannen
thetta mit ringa snille-alster, til et offenteligt wedermåle af en
vfärgad högachining och tacksamhet; upptingen med wanlig gunst
thetta illa hysade pappers fram, som angår Elden såsom en
undransvärd tolk af den våndeliga Skaparens aldrafullkom-
ligaste egenskaper, så har jag wunnit min önskan. Then Alwise
Försynen tiidle Herr Handelsmannen en ständigt grönstånde
fällhet och trefnad, samt bekröne Honom med all hiesv önskelig
och waraktig wål gång. Under hvilken önskan jag med all
högaktning framleswer

Herr Handelsmannens

Ödmjukhörsamste Tjenare
GABRIEL WELONIUS.



PROOEMIUM.



Uantum se oculis nostris artificio-
filiū mundi hujus systema
obseruat, tantam quoque, h. e. in-
finitam, idem nobis sifit poten-
tiam, sapientiam atque bonitatem
Summi Numinis, colendam &
venerandam, quod illud, quan-
tum quantum sit, cum non nisi possibile esset, actua-
litate & existentia induit. Et licet amplitudo hujus
universi adeo sit vasta, ut omnis cogitandi vis & a-
cies mentis, quamvis sagacissimæ, non possit
non, in abyssō hac, penitus hebescere, tamen manus
perita creatrix eandem infinita rerum & corporum
multitudine & varietate adeo mirifice adornavit, &
omnia ac singula, quæ conspectum mundi consti-
tuunt, ita disposuit, ut ad unum eundemque finem
obtinendum, omnes conferant vires. In aureo hoc
Divinarum perfectionum speculo, quo diligentius re-
rum contemplamur naturam, earumque directionem
ad certos usus & fines, eo plura, majora & lucu-
lentio-

Ientiora Entis perfectissimi nobis patescunt vestigia atque testimonia. Testimonia, inquam, quæ non uno aut altero modo, sed multiplici, omni ornatu nefandum ac vesanum Atheistarum denudant furem, qui, nescio qua fascinatæ mentis hebitudine, existentia Numinis negata, omnia ex cæco atque fortuito quodam casu exorta adserere non verentur. Tantum enim abest, ut hilum quoddam, ne dum totum hoc universum, stupendum non minus potentia quam sapientia specimen, e possibilitatis scena, in theatrum existentia, se ipsum producere possit, ut potius extra Deum ne possibile quidem concipi queat. Omnia itaque, maxima, minima, quot structuram hujus mundi absolvunt exornatissimam, agnoscunt, venerantur & depraedican potentiæ, sapientiam & bonitatem Creatoris summam atque infinitam, cui placuit eadem ex fasciis nihil evolvere. Ast quum opera hæc Divina sint adeo stupenda atque infinita, ut multitudinem eorum vel simultaneæ vel successivæ subjici considerationi, supra mortalem conditionem positum esse, quivis, modo rei indolem justa pensitaverit trutina, facillime videat; pro re nata consultius fieri nequit, quam ut accuratiore investigatione, unius tantum rei perlustremus naturam, & simul summa cum animi veneratione Conditoris admirremur potentiam, sapientiam & bonitatem. Operum horum Divinorum, quæ attentam nostram merentur meditacionem, merentur autem omnia & singula, si non primum, certe nec ultimum sibi vindicat locum ignis,

ignis, cui considerando impræsentiarum nostras qua-
descunque ingenii vires consecrare instituimus. Et
licet tuo, Benevole Lector, in re tam ardua, in qua
rimanda non solum veteres philosophi, verum etiam
recentiores, mirum quantum, frustranea sudoris ob-
tulerunt libamina, desiderio facere, quod satis est,
nequeamus, speramus tamen fore, ut pagellas has,
incompta Minerva delineatas, benignæ censuræ at-
que favoris involvas peplo.

§. I.

QUAS & quales veteres de igne foverint senten-
tias, nostrum non est, nisi duobus tantummodo
attингere verbis. Quidam horum ignem sicco
penitus transferunt pede; quidam, quid non sit po-
tius, quam quid sit, adseruerunt; quidam effectum
pro causa habuerunt efficiente; quidam denique, &
inter hos gentes de cætero sapientissimæ, considera-
tis qualitatibus ignis mirificis, commodisque, quibus
totam fere rerum naturam uberrime cumulat, eum
divinam redolere indeolem, & eam ob rem dignum,
ut cultu, soli Deo debito, honoraretur, arbitrati sunt.
conf. Walchii Lex. Phil. loc. de igne. Recentiores
quoque perscrutantes inextricabilem & humanam sa-
gacitatem eludentem ignis naturam, in varia atque
juxta monstrosa sententiarum abiverunt divertia. A-
liis arrisit hic ceu substantia; aliis ceu accidens. Il-
lorum nonnulli substantiam hanc in spirituum retu-
lerunt numerum; nonnulli corporum; nonnulli vero,

qui media, ceu tutissima, ut existimabant, incedere voluerunt via, nec spiritum, nec corpus, sed intermedium potius inter hæc duo esse, sibi persuaserunt; verum hi charybdin evitare cupientes inciderunt in scyllam. Nos sententiæ adstruentium, ignem esse corpus, adstipulamur. Quum itaque neminem, quid nos per ignem intellectum velimus, fugere existimaverimus, corpus nimirum subtilissimum atque fluidissimum, vi corpora visibilia reddendi & calefaciendi præditum, paucis adoptatam sententiam evictum ibimus, quod scil. Ignis iu numerum corporum referendus sit. Nemo nisi stulto ausu, solis splendore clariori repugnare voluerit experientiæ, negare potest, ignem per agitationem successive procedentem & per impulsum, seu collisionem duorum corporum solidorum sensim elici, & quasi generari, ita ut præsentia ejus antea insensibilis concii fiamus, & vicissim, particulis dissipatis, paulatim evanescere; corpora quævis expandi, quando particulæ ignis poros & interstitia eorum penetrant, & vi sua nemum & cohaesionem particularum solvunt; ignem denique a corporibus reflecti atque repercuti, ut, quæ in hac & posteriore parte. D. V. demonstraturi sumus, prætereamus. Hæc accurata scrutinii lance ponderata, quis sanæ mentis compos, nisi andabatarum more pugnare, & sciens hallucinari velit, in spiritualem quadrare dixerit substantiam.

§. II.

His præstructis, ad ipsum propositum nosmet accingimus & primum ignis præsentiam in omni spatio evolvimus, veritatem theseos hujus omnibus ad oculos patere existimaverimus. Nam lux e sole & stellis fixis effluens, radiis suis remotissima, imo extrema universi hujus spatia dimititur; hac de re Derham in Physico. Theol. pag. 57. inquit: Ausbreitung (lucis scil.:) ist/ wie ein nur neulich verstorbener gelehrter Man redet/ so unumschrenkt/ und erstrecket sich so weit/ als das universum oder das Expansum selbst/ durch die ganze Welt/ über alles und auf alle materialische Wesen: Dieser Raum ist so weit und groß/ daß er den Begriff des menschlichen Verstandes übersteiget/ also/ daß sehr viele behauptet haben/ daß er gar unendlich sei und keine Gränzen habe. Et præter communem experientiam, quæ radios solares calefacere docet, novimus radios per specula caustica collectos & in spatum minus redactos non combustibilia solum, in flammarum conjicere, verum etiam in omnibus aliis corporibus, cuius demumcunque generis, mirois ignis edere effectus. Vid. Musch. Phys. §. 814. 817. 818. & Boerhaav. Elem. Chem. T. I. p. 132. seqq. In atmosphera tellurem nostram ambiente varia phænomena & meteora ignita idem ob oculos ponunt, quorum præcipua sunt fulgura, stellæ cadentes, ambulones incendiarii, bolis syrmata & (uti verisimilium videtur) coruscationes boreales. In visceribus terræ quoque ignem suis non destitui habita-

culis, quibus, ceu diversoriis commoratur, demonstratum eunt, montes ignivomi, ut Vesuvius, Hæcla, Ætna &c, thermæ, quæ licet per commixtio-
nem sulphuris & ferri cum aqua persæpe enascantur; negari tamen non potest, quin eadem insimul
sint certissima ignis intestina terræ habitantis testi-
monia, cum præsertim canales thermarum præter-
fluunt permeantque loca igne subterraneo repleta.
Conf. Cel. Krügeri *Naturliche* §. 409; motus ter-
ræ, qui læpissime non nisi ex igne centrali, qui in-
credibili celeritate aërem expandens, horrendo cum
fragore, instar pulveris pyrii e bombarda emitti,
erupit, natales petunt suos; loca qualia inprimis
in Italia deprehenduntur perplurima, quæ sulphureis
materiis adhibitis, odorem & fumum edunt, vel a-
lias duntaxat nitent; porro metalli fossores, qui,
quo profundiis terræ intrant viscera eo majorem
calorem cum fætore ingratissimo commixtum, se
sentire ajunt. Deprædicant, si quid, montes igni-
vomi atque terræ motus potentiam Divinam; &
quid iratum Numen efficere valeat, quod uno mo-
mento florentissimas ac maximas regiones & urbes
destruere atque in abyssum detrudere possit, abunde
declarant. Sed quid multis opus est? quum hæc i-
gnis copia tanta sit, ut ubique creaturis sufficiat, &
animum nostrum admirationis & venerationis incen-
dio inflammare possit in conditorem, cuius perfe-
ctionum argumenta & indicia hic quoque occur-
runt innumera, certissima, evidentissima. Prædicate
itaque sapientiam, quæ artificiosissimum & mirifi-
cum

cum hoc elementum vidi rebus creatis fore utilissimum; decantate & extollite potentiam, quæ ex nihilo producere valuit; amoris denique complexu osculamini bonitatem, quæ hoc ita æquabiliter dividere disponereque voluit, ut nulla mundi pars, in prædæ hujus distributione, rei adeo necessariæ exsors evaderet. Hem! quam misera nostra foret conditio, si ignis laboraret inopia.

§. III.

Quemadmodum in materiæ ignis creatione, ita & in ipsius generatione plane mirifica, summa atque infinita Conditoris elucescit sapientia cum potentia ac bonitate conjuncta, Hanc multipli procedere ratione experientia ubique terrarum obvia loquitur; vel tum, quando materia combustionis capax, sive immediate tangit alia combustibilia plena flamma ardentia, sive mediate, æris nimirum, & attractionis corporibus insitæ auxilio, quo particulæ ignis feruntur ad materiam combustibilem, quæ illas magis vel minus colligit & absorbit, quarum accessione, etiam ignis in poris quiescens excitatur, ita ut non possit non flamمام capere; vel tum, quando radii solares, per lentes causticas, concentrantur in foco; vel tum, quando particulæ ignis in intersticiis combustibilium habitantis, per vehementem collisionem & attritum, e statu quietis deturbantur atque in motum excitantur; his denique accedit effervescentia, quæ quoque haud raro, per mutuam

mutuam particularum frictionem, ignem accedit. Generato vero igne, flamma ejus mirum in modum, juxta proportionem, seu indolem & multitudinem combustibilium magis magisque accrescit; quod nihil aliud est, quam generatio continuata, qua particulæ ignis in poris quiescentes, motu accelerato majorem in modum agitantur & e quiete elicuntur. En artificium Summi Numiris stupendum, in quo invisibles ejus perfectiones satis superque perspicientur. Hanc si ignis, Divino nutu, exueret sibi naturam, hominibus certo certius miserrime moriendum foret; nam licet ignis tanta sit copia, ut cuncta penetret loca, plane tamen impossibile foret, ut tanta ejus posset colligi multitudo, quanta hominibus quotidie ad vitam sustentandam esset necessaria. Såg mig, inquit Kryger i sin Natur. Theol. p. 93. Om jag skulle leta fram hvar eld gnista / kunde väl tho personer så lå mycken eld på en dag / som man allenaft behöfde til at koka en soppa med. Præterea, si ignis in quibusdam tantum locis generaretur, necessum esset, ut ignis, aut conservaretur adhibendo materiam, quia alioquin pabulo consumto extingveretur, aut continuo adserretur e locis, ubi generatio ejus obtineret. Videas incommoda, quæ vitam humanam redderent miserabilem, sed agnoscas simul, velim, sapientiam, potentiam & bonitatem infinitam, quæ novit, potuit & voluit benignissime, largiendo igni mysteriosam hanc naturam, omnium & singulorum usibus consulere. Hæc si vel tantillum pio consideraveris animo,

nimo, non poteris non in tantam rapi admiratio-
nem, ut ingenium tibi penitus hebescat, acies oculorum obtundatur & verba stupeant palato. O surdum Atheistarum, qui rationem in totum helluantur, somnum, quem tot buccinarum voces, quæ, parum abest, ne mortuos auditu donatum eant, expellere nequeunt! O stultam cæcitatem, quæ, visu oculorum non destituta, tantis ignis flammis ardentiibus, cæcutire vult.

§. IV.

Mundus hic, licet sit artificiosissimus exornatissimus, frustra tamen a manu Conditrice tantis indutus esset ornamentis, si æternarum tenebrarum umbris involutus jaceret. Fuit itaque *lux* necessaria ad obtainendum finem per creationem hujus universi intentum. Lux enim est, quæ mundum ejusque ornamenta nobis reddit visibilia, ut eadem cum oculis corporis, tum mentis perlustrare, & perlustrando admirari venerarie queamus perfectiones Divinas in illis delitentes; hæc est animalium gaudium & vita, quæ lemures tenebrarum, qui animos viventium percellunt, relegat. In hac nos, nosmet, pro arbitrio, ab uno ad alterum conferre possumus locum; in hac alimenterorum aliarumque rerum cum ad vitam conservandam, tum ad eandem jucundiorem reddendam & voluptatem, in se non improbandam, excitandam, nobis adquirimus copiam; in hac negotiis,

tiis, tam publicis, quam privatis obeundis & expe-
diendis nosmet deprehendimus pares; in hac pul-
critudinem & splendorem colorum variorum oculis
excipimus nostris, vestitumque telluris nostræ flo-
rum virescentium arborumque manu creatrice sata-
rum amœnissimo ordine atque ornatu politum ad-
spicimus: in hac firmamentum mirifice in gloriam
Dei coruscare videmus; in hac rerum, in quantum
sanitati vel profint, vel obsint, inquirimus naturam,
animalium vitæ nostra insidias struentium, feliciter
eludimus morsus atque insultus, atque insectorum a-
viumque varii generis examina, Creatoris sapien-
tiam, potentiam ac bonitatem, impensisſime & sum-
mo cum fervore, laudantia examinamus; in hac
animalia, homines & cuncta alia a se invicem di-
gnoscimus, eorumque naturam, formam aliasque af-
fectiones & proprietates consideramus; in hac deni-
que harmoniam omnium rerum, tanti Creatoris, sa-
pientia dignissimam & nunquam satis admirandam ad-
miramur; ut taceamus, quod ignis culinaris luce, nos,
qui boreales habitamus regiones, brevitatem dierum
abundanter compensemus. En commoda maxima! En
emolumenta heroica! Ast quot hæc sunt, (sunt autem
innumera,) & quanta, tantum ignem celebramus
præconem perfectionum Divinarum; hoc est, qui &
per pretiosissimam, nec non artificiosissimam natu-
ram suam & usum, quo rebus creatis modo plane
singulari inservit, impensis atque juxta invictissimis
stabilit argumentis, potentiam, sapientiam & boni-
tatem Creatoris esse immensam & a rationalibus
pia

pia animi devotione semper agnoscendam, colendam & venerandam.

§. V.

Apter ignis character est *calor*, qui cum luce de primatu certat; utrum vero calor idem sit cum luce, aliorum relinquimus decisioni, quum hoc usque nemo, in quantum nobis constat, fuerit, qui nodum celebris hujus controversiae in totum exsolvere potuisse. Quod utcunque sit, tuto tamen & sine ullo erroris periculo adserere possumus, inter haec duo proximam arctissimamque intercedere **vici-**
niam. Et quemadmodum lux, ad consequendum finem creationis, est necessaria; ita & calor, qui omni jure vita totius naturae dici potest, quippe qui, vi subtilitatis materiae suae, corporum occupat interstitia, & deinde eadem vi sua calorifica, instar avium, foveat & vivificat. Haec gratis a nobis dicta ne quis existimet, rimetur penitus rerum naturam, quae docebit, veritatem hanc sua radiari luce, tantumque abesse, ut praesens rerum ordo, sine calore, esse suum continuare possit, ut citius, ferius, ruina fatali, ex toto pereat. Calor enim est, qui generationem mineralium aliarumque rerum, quae in visceribus terrae, in hominum præparantur usum, promovet; qui arbores, herbas, flores & segetes, & quotquot vegetabilium sunt species, crescere, crescentes virescere, virescentes florescere & florescentes maturescere facit; qui fluiditatem aquae conservat, seu

ne conglaciet, impedit; qui circulationem sanguinis, in qua cardo vitæ omnium animalium hominumque vertitur, maximam ad partem absolvit; sine igne, quem ad domos & hypocausta calefacienda tradhibemus, vastissima pars terrarum, in primis sub utroque polo, ubi gelu horridum per plures menses sœvit, sitarum, inculta atque ab habitatoribus vacua jaceret. Sine hoc nullus fetus in utero materno concipi potest, nec conceptus fretum attingere vitæ. Dic, quæso, qualis œconomia nostra sine igne foret? certe nulla. Qualia ciborum genera comederemus? Vel sis, qualis nostra esset vita? mortua plane. Sed cum divitiæ caloris sint tantæ, ut angustiæ chartulæ hujus eas capere nequeant, & allatæ satis superque nostro sufficiente instituto, reliquis recensendis supersedeamus, & Summum Illum Monarcham; qui ignem vi calefaciendi, in usum rerum creatarum, armavit, æternis celebrèmus laudibus. Accingite, & vos, quotquot usu rationis non destituimini, ad agnoscendam & collaudandam providentiam omnisapientem pergitate. O miseriam Athierum, qui rationem jaſtitant, sed ne velaniam cerebri ægrotantis, furoremque principis tenebrarum redoleat, vereor. Deo infinito, Creatori omnipotenti & Conservatori optimo sit honor, laus & gloria in æternitatem omnem.

